



neceſſe eſt, vtramq; perpendiculararem per grauitatis centrū tranſire. Punctum igitur illud corporis, in quo ſe interſecāt duæ illæ lineæ perpendicularares, centrū erit grauitatis, vt in hoc ſchemate conſpicias, in quo primum punctum ſuſpenſionis ſit *A*, linea vero perpendiculari in corpore notata *AB*: punctum ſecundum ſuſpenſionis ſit *C*, linea autem perpendiculari in eodem corpore notata *CD*, ſecans priorem *AB*, in puncto *E*, quod aſſerimus eſſe centrum grauitatis. Sic igitur diceret aliquis, centrum totius vniuerſi eſſe centrum grauitatis terræ & aquæ, quandoquidem ad illud tendunt, ſiantque diſformis grauitatis, at centrum magnitudinis terræ aliud erit a centro magnitudinis aquæ, immo vtrumque centrum magnitudinis tam terræ, quam aquæ diuerſim eſſe poteſt a centro totius mundi, quod eſt centrum grauitatis, vt volebat ſe cunda opinio, ponens tria centra.

VERVM hæc reſponſio nulla eſt. Nam in terra neceſſario ponendū eſt idē eſſe centrū grauitatis, & magnitudinis; Similiterq; in aqua. Cum igitur in vtroq; elemento centrum totius vniuerſi, ad quod nimirum ex omni loco demiſſa feruntur, vt ex ratione probatum relinquatur, perſpicuum euadit, idem eſſe centrum magnitudinis, nempe centrum vniuerſi, in terra, & aqua; ac proinde duo hæc elementa vnum globum conſtituere. Quod vero idem ſit centrum grauitatis, & magnitudinis in terra, ita demonſtrari poteſt. Pondera; & omnia graua, quæ ex edito loco ad ſuperficiē terræ moventur, efficiunt ſimiles, ac æquales angulos in ipſa, & non ad æquidiſtantiā feruntur, quandoquidem in centro vniuerſi, quod eſt centrum grauitatis, coeunt. Igitur vnum & idem centrum eſt magnitudinis terræ, & grauitatis eiusdem, ſeu vniuerſi. Antecedens communi experientia eſt comprobatum, vt videre eſt in perpendicularis, quibus vniuntur artifices in conſtructionibus adificiorum, quæ nec in hanc, nec illam partem ſtecluntur, ſed æqualiter terre ſuperficiē inſiſtunt: E quocumq; enim loco demittantur in terram, ſimiles ſemper, & æquales angulos cum ea conſtituunt, ſuntq; ſemper fila illorū perpendicularium in diametro cæli & terræ; Alias edificia diu conſiſtere non poſſent. Idem antecedens eſt Ariſtotelis in 2.